



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

9. Præludium. In operibus maleficorum quædam adhibentur, quæ naturalem actionem ex rei natura habent, in ordine ad effectus, quos producere inte[n]dunt: ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

ordine, quia cum natura corporalis infra spiri-
ritualem sit, tanquam imperfectius sub perfe-
ctiori, nata est moueri in ordine ad locum vn-
de Aristo. 12. Metap. posuit cœlum moueri ab
intelligentijs, quas nos Angelos dicimus, nu-
merumq; intelligentiarum, tanquam ex no-
tiori è numero motuum, in corporibus cœle-
stibus inuestigauit.

9. Præludium. *In operibus maleficorum* quædam ma-
leficis operi-
bus adhibita
naturaliter
operantur;
quædam ex
pacto tantum.
*quædam adhibentur, quæ naturalem actio-
nem ex rei natura habent, in ordine ad effe-
ctus, quos producere intendunt: exempli gra-
tia, venena ad interficiendum, herba ad sa-
nandum, vel occidendum: Quædam verò
tantum sunt signa & characteres, nihilq;
habent virtutis ad effectus producendos; sed
operatio sequitur ex pacto cum Dæmone, so-
lum consensum præbente malefico, & signum
adhibente.*

DELECTANTVR enim Dæmones mul-
tum signis, cum imitari studeant Deum,
qui mediantibus signis sacramentalibus, salu-
tem operatur in terris, quam ipsi, pro eorum
nequitia multiplici, adminiculo signorum, e-
uertere conantur. Quod pulchrè S. Augustin. lib. 21.
cap. 6. de Ciuit. Dei inuuit his verbis: Dæmones alliciuntur
per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, a-
nimalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis, sed

vt spiritus signis, in quantum scilicet hæc eis exhibentur, in signum diuini honoris, cuius ipsi sunt cupidi. Ex prædicta rerum, quæ in maleficijs assumuntur, diuersitate, ad cautelam hominum obseruandâ, periculosius esse opus maleficorum, quando veneno alijsq; rebus naturalibus vtuntur, quâ quando tantum signis. Quia naturalia naturali modo applicata, effectum sortiuntur tam in bonis, quàm in malis, secundum proportionem actiuorum & passiuorum, nec valent impediri, nisi miraculosè ab eo, qui dixit de discipulis: *Et si quid mortiferum biberint, non eis nocebit.* Itaq; nec cruces, nec reliquiæ, nec sacramentalia naturalium rerum cursum impediunt, nisi ipse præter naturam, qui omnium motuum est primum efficiens, effectum causæ particularis suspendat. At in alijs alia ratio est: quia spiritualibus armis sæpissimè Dæmonum insultus propulsantur, & actiones impediuntur, ne effectum sortiantur.

Sic Epiphanius contra hæresin 30. de incantationibus, quæ maximè verbis, signis, characteribus, alijsq; rebus similibus perficiuntur, quæq; nullam causalitatem in ordine ad effectum habent, ait, huiusmodi incantamenta contingere simplicibus, & idiotis hominibus, qui per præceptorum negligentiam non sunt muniti doctrina. Sic & ibidem ostendit exemplis per signum crucis in nomine Christi virtutem diaboli & incantationis impeditam, &
postea

postea infra in confirmationem mysteriorum nostræ religionis, Iudæorum incantamenta & præstigia, aqua benedicta in nomine Iesu Nazaræi cum signaculo crucis dissoluta tradit. Nec solum Epiphanius, sed etiam alij Patres docent, aquam benedictam salutarem esse contra diabolicas & magicas artes & operationes. D. Hieron. in vita Hilarionis, ubi Hilarion aspersione aquæ benedictæ, gætilis aurigæ magicam molitionem dissipauit. Pulchrè Theodoret. lib. 5. histo. Ecclesiasticæ, cap. 21. Beda de gestis Anglor. lib. 1. cap. 17. & Alexand. primus in cap. Aquam de cōsecra. d. 3. & alij alibi. Unde constat antiquissimam hanc esse traditionem, contra Nouatores.

10. Præludium. *Sicut inter angelos beatos, sic inter Dæmones est ordo & prælatio, & id fide tenendum ex sacris literis.*

In Dæmonibus ut S. Augustinus, est sub ordinaria.

Iob. 41. *Ipsè est rex super omnes filios superbia.*
 Matth. 12. & Marc. 3. *In Beelzebub principe Dæmoniorum eiecit Dæmonia.* Ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnè & sanguinè, sed aduersus principes & potestates, aduersus mūdi rectores tenebrarū harum.*
 Hinc Christus in Euangelio regnum Sathanæ attribuit. Luc. 11. Matth. 12. *Si enim Sathan Sathanā eiecit, quomodo stabit regnū eius? Hic autem ordo, naturæ est, non gratiæ. Nam naturæ dona retinuerunt, gratiæ autem amiserunt.*
 Sicuti autem Dæmones natura sunt superio-